Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Commvnionis Tum pro Sacerdotibus, tum pro omnibus fidelibus communicaturis

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

De munditie à pollutione, vel copula, §. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41783

Visual Library

CAP. II.

De Diſpoſitione corporali requiſita ante Sacratiſſ. Communionem.

§. 1.

De Munditia à Pollutione, vel Copula.

1 PRæmittimus tanquam certum, non eſſe mortale, *a* poſt peractam rite pœnitentiam de peccato, eodem, etiam, quo patratum eſt, die, communicare: jam enim, ſic, non indignè graviter ad Sacram Euchariſtiam acceditur.

2 Porrò, quo ad decentiam: Pollutio involuntaria neminem ex iis, qui benè affecti ſunt circa ſpiritualia retardare unquam debet *b* à Communionis acceſſu:

a Sanch. lib. 9. de matr. d. 13 quicquid dicat Navarr. in Man c. 21 n. 51. putans eſſe mortale etiam poſt confeſſionẽ debitam, qui tamen in 2. edit. mutavit ſententiã.

b *De Lug. diſp. 15.*

Qui meximè ab hujuſmodi pollutione, in imaginativa turbaretur; eſſet ob reverentiam conſulendus differre *c* in alium diem, niſi id ſæpius accideret, periculumque eſſet ſpiritualem profectum aliqua ratione impediendi: vel niſi aliqua ex rationibus, ſequenti numero dicendis, communionem, concederet.

ſec. 1. à n. 9 Sanchez ibid. alios citantes.

c *Iidem, quicquid dicat Io. Sanchez in ſel. d. 22. n. 3.*

3 Pollutio voluntaria, vel copula illicita, etiam poſt congruam pœnitentiam, melius propter eandem reverentiam, impediet communionem *d* illius diei: niſi fortè nota, vel infamia, vel Iubilæum, vel Feſtum ſolemne, vel quid ſimile, concedendam ſuadeat. Fateor interim, majorem rationem requiri poſt illicitam copulam, quàm poſt ſimplicem, ultro volitam, pollutionem: licet enim hæc gravior culpa ſit; illa nihilominus, cum ſit magis externa, ac magis voluntaria, magis diſtrahit.

d *Iidem.*

e Iidem, quidquid dicat idē Jo. Sancez ibid.

f De Luga ibid. n.14.

4 Copula licita melius, & regulariter impediet *e* niſi feſtum, nota, vel ſimile quid, ut modo diximus, obſtent.

5 Adverte denique minorem cauſam requiri *f* ad concedendam communionem, ſi ejuſmodi copula oritur ex amore prolis, quam ſi ex cupiditate voluptatis, & multo ſatis minorem, ſi eſt non petita, ſed reddita: ita ut in hoc caſu merum communicandi deſiderium ſufficiēs cauſſa videatur: ſiquidem tunc prætextu communionis, non erat conjux repellendus: & tunc, ob actum redditæ juſtitiæ, minus eſt uxoratus à communionis refectione removendus. Adde hic illud, quod modò dictum eſt capite præced. §. 11. fine.

Denique eſt ne peccatum veniale accedere ad Euchariſtiam poſtquam eodem die conjux delectationis cauſa debitum exegit?

git? Eſſe docet Sancez, *g* & Marchinus *h* Ratio eſt (inquit Marchin.) quia apparet aliqua irreverentia ſic accedendo Audio. At etiam, qui cauſa voluptatis veſpere ante communionem comediſſet, peccaret venialiter, mane accedendo ad Euchariſtiam: & ſic de ſimilibus, quod non admittimus. Puto igitur, ex ſuppoſitione, quòd in tali copula, vel cibo quis venialiter peccaverit; eſſe judicandum ſicuti ſupra cap. 1. §. 4. judicavimus, eſſe, vel non eſſe veniale accedere ad Euchariſtiam cum veniali. Illud addendo in materia luxuriæ faciliùs mentem à ſacris miniſteriis avocari, quàm in aliis materiis; ac propterea faciliùs incidi ſic poſſe modo ſupradicto *i* in veniali, accedendo ad Euchariſtiam cum hoc ſpeciali peccato veniali. Ad quod certè reſpexit Sanchez *l* dum caſtigatè loquens, dixit, debitum

g Sanch. lib. 9. de matrim. d 13. n. 3

h *March. de ord tr. 3. p. 3. c. 2. n. 16.*

i Supra c 1. §: 5. à n. 13.

l Sanch. loc cit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gatè loquens, dixit, debitum tum exigentem ex voluptate, regulariter, peccare venialiter accedendo eodem die ad communionem, niſi aliqua cauſa excuſet: quia (inquit) oritur magna diſtractio, mentiſque hebetudo. Nota illud (Regulariter.)

§. 2.

De Munditia Corporis externa.

6 NVllæ ſordes corporeæ, unde nec menſtrua, ſecundum ſe, Communioni impedimento ſunt. a Præſtat tamen, propter decentiam, eas, quantum modeſtè fieri poteſt, amovere. Si tales ſint, ut horrorem aſpicientibus pariant à communione publicitus exhibenda; decens eſt abſtinere; nam ſic intelligendus eſt Canon, Tua nos, de clerico ægrotante, qui, propter lepram, à communione prohi-

a *De Lug. d 15. de Euc. ſec 1. n. 15.*